

videre de certo aut novo Ecclesiae capite : 3. Ante tamen capitis hujus constitutionem non posset auctoritate summa ac infallibili alia decernere : 4. Pontifex de crimine accusatus a jure praesidendi non excideret; cum nec Princeps supremus desinat esse iudex, licet cum ipso litigetur. Pro jure hoc exempla extant non tantum in causa Marcellini, quae a Criticis repudiatur, sed et in Sixti III. et Symmachi iudicio : quin et in Conc. Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi et Constantinopolitano Alexander, Cyrillus, Leo et Ignatius; Arii, Nestorii, Dioscori et Photii fuerunt iudices legitimi, quantumvis ab his accusati et damnati.

## ARTICULUS III.

*Quinam sint convocandi ad Concilium Generale?*

145. *Nota.* Concilia, maxime Generalia, habere formam iudicii, adeoque standum esse Conciliari sententiae, non autem facere meram inquisitionem, nec decreta eorum esse æquiparanda Doctorum decisionibus, quae tantum valent quantum ratio probat, unânimis est Catholicorum assertio : patetque ex obedientia decretis Conciliorum necessario praestanda, quam imposuit CHRISTUS, Matth. 18. v. 17. Ecclesiam audiendam praecipiens; exegerunt APOSTOLI, A. 15. et 16. decreta Hierosolymitani Concilii observari imperantes; postularunt PATRES plurimorum Conciliorum, definitiones aut canones sub anathematis poena custodiri jubentes. Sicut autem in aliis, ita et in Conciliaribus iudiciis, possunt intervenire alii ut iudices, qui gerunt suffragium decisivum; alii ut consultores, qui votum doctrinale seu consultativum habent; alii ut ministri vel adjuutores, qui quamvis officia quaedam vel in Concilio vel circa illud praesent, suffragium tamen pro decisione causae non edunt. Ex his, munus arcendi vim, impediendi turbas, servandi ordinem et exequendi decreta Conciliorum, Laicis aequae ac Clericis facile tribuunt omnes : concedunt similiter Notariorum, Custodum aut Procuratorum aliaque officia huiusmodi iisdem posse conferri : denique nemo contradicit, quin eruditi quicumque ad discutiendas, antequam decidantur, controversias atque ad doctrinale votum ferendum tanquam consultores admitti, adeoque pro ejusmodi praestandis ad Concilium evocari, invitari aut rogari queant.

Quod itaque quaeritur, ad id tantum spectat : Quinam ad Concilium generale vocandi sint ut iudices, seu ita ut in Concilio suffragium decisivum ferant? Ut hic Brentii aliorumque errorem Cap. jam superiore refutatum praeteream, quo ad Concilium Electi duntaxat admittuntur; Protestantes cum Lutero L. de Concil. plerique praeter Principes evocari ad Concilium postulant etiam populum, aut saltem viros doctos, quantumvis Laicos : Catholici e contra excludunt Laicos omnes; inter Clericos autem distinguunt, voluntque Episcopos solos interesse Conciliis jure ordinario sive ex officio proprio; quosdam vero non Episcopos, scilicet Cardinales, Abbates exemptos, et Religiosorum Ordinum Praepositos generales ex privilegio et consuetudine.

146. *Dico.* Ad Concilium generale vocandi sunt Episcopi jure ordinario; quidam Clericorum ex privilegio et consuetudine; Laicorum etiam doctorum nemo ullo titulo.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Jure vocandi sunt ad Concilium generale, qui Ecclesiam tum regunt, tum representant, et tractandarum causarum potestatem ac jurisdictionem competentem habent : sed Praelati majores sive Episcopi jure proprio Ecclesiam tum regunt, tum rite representant, et potestatem ac jurisdictionem competentem possident : ergo. *Major* patet ex paritate cum generalibus Comitibus Regni ac Reipublicae cujuslibet, ubi legitima regiminis forma viget; et ex ipsa sive Concilii sive iudicii natura ostenditur, quandoquidem hic definiuntur dogmata, condemnantur haereses, statuuntur canones, disciplina reformatur pro universa Ecclesia; praeterea autem non tantum Ecclesiarum jura et Episcoporum controversiae deciduntur, sed et damnantur et absolvuntur rei, infliguntur poenae et contumaces compelluntur : quorum priora sine regimine ac representatione Ecclesiae, posteriora sine jurisdictione in Ecclesiastico foro etiam externo concipi non possunt.

*Minor* constat similiter : quia ex Act. 20. v. 28. *Episcopi a Spiritu sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei* : juxta CYPR. epist. 69. *Ecclesia est in Episcopo*, scilicet secundum representationem et jurisdictionem : ex Matth. 18. v. 18 : *Apostoli Apostolorumque successores alligandi solvendique facultatem obtinent.*

*Conf. 1.* Quod usus fuerit solos convenire Episcopos in Conciliis, docet Euseb. L. 5. c. 23. ubi, loquens de Conciliis supra quaestionem Paschatis tempore VICTORIS, inquit : *Ob quam causam conventus Episcoporum et concilia per singulas quasque provincias convocantur.* Consentunt reliquorum Conciliorum Acta. 2. Quod accessus ad Concilia solis Episcopis patuerit, probat tum PULCHERLE in ep. ad Strategum edictum, de repellendis etiam per vim a Concilio omnibus non Episcopis, tum Patrum Chalcedonensium Act. 4. contra Monachos et Laicos Concilium ingressos exclamatio : *Mitte foras superfluos : Concilium Episcoporum est.* 3. Quod ad Episcopos pertineat judicare in Conciliis, ostenderunt facto Episcopi, hac subscribendi formula in Conciliis plerisque usi : *Ego Episcopus definiens vel statuens subscripsi* : item ad jus provocantes declararunt Osius in ep. ad Constantium ap. Athan. in ep. ad solitarios : *Tibi Deus commisit Imperium; nobis Episcopis, quae sunt Ecclesiae concredidit*; et Ambr. ep. 32. ad Valentinianum : *Si conferendum de fide, sacerdotum debet ista esse collatio, sicut factum est sub Constantino, qui iudicium dedit sacerdotibus etc.* 4. Quod praesentibus in Concilio solis Episcopis Ecclesia congregata intelligatur, testantur Euseb. L. 3. de vita Constantini, qui conc. Nicænum vocat *conventum orbis terrarum*; et Aug. L. 1. de baptismo, consensum eorumdem Patrum *Ecclesiae totius consensum* dicit.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Qui nec per se qualitatem convocandis necessariam habent, nec semper vocati sunt, nunc tamen ut iudices admittuntur in Concilio, ad id vocandi sunt ex privilegio et consuetudine : sed Cardinales, Abbates exempti et Generales Ordinum per se non habent qualitatem necessariam, scilicet jurisdictionem spiritualem pro foro externo, quia jure proprio vel nullos subditos habent, vel, *aliquas tantum*, ut D. THOMAS loquitur, *subministrationes sub Episcopis exercent* : nec semper vocati sunt, ut historia antiquorum Conciliorum docet, et testatur Martinus Archimandrita, actione 1<sup>a</sup>. Conc. Chalcedonensis ad subscribendum invitatus, sed respondens, *id Episcoporum tantum esse, non suum* : Nunc tamen ut iudices admittuntur in

Concilio, quia in Florentino, Lateranensi et Tridentino subscripserunt definiētes: ergo. *Conf.* Ex privilegio et consuetudine habent Cardinales jurisdictionem Episcopalem in Ecclesiis sui tituli: Abbates exempti et Generales Ordinum, quasi Episcopalem in suos Religiosos: ergo supposito hoc privilegio, accedente etiam consuetudine, ad Concilium sunt vocandi: ut totius Ecclesie representatio, suorum etiam fidelium subditorum ratione ac respectu, obtineatur.

*Prob. 3<sup>a</sup>. p.* Laicorum nullus, cujuscumque sit conditionis aut dignitatis, pastor aut rector est Ecclesie, sed ovis ac subditus; nullus gerit vicem Ecclesie docentis aut præcipientis, sed discantis pars est et obsequentis; nullus habet jurisdictionem in foro Ecclesiastico, utpote spiritualem: ergo nullus conditionem ullam habet ad judicem in Conciliis generalibus agendum: ergo non est vocandus. *Conf.* Jus hoc non competere Laicis, IMPERATORES confessi sunt verbis (num. 143) in resp. ad arg. allatis, confessi sunt factis, dum post Episcopos subscripserunt, non ut definiētes, sed tantum ut suscipiētes aut consentientes: confessi sunt silentio, dum locis nuper laudatis objectari sibi permiserunt, Constantinus quidem ab Osio: *Ne te immisceas rebus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe: sed potius ea a nobis discere;* et Valentinianus ab Ambrosio: *Quis est, qui abnuat, in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?* Ergo.

147. *Objic.* In Concilio Hierosolymitano in causa legalium congregato, Act. 15. v. 6. dicitur: *Convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc;* et v. 22. *Tunc placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesia.* In decretis autem Conciliorum posteriorum sæpe legitur: *Sacro approbante Concilio, vel de Fratrum nostrorum consilio:* ergo vel Laici etiam vocandi sunt, vel nec Episcopi sunt iudices in Concilio.

*R. ad Arg. 1. N. Cons.* In utroque versu per seniores intelligi possunt Episcopi, acceptione etiam alibi in nov. Test. usurpata; in postremo autem interventus Ecclesie seu populi non spectabat definitionem aut decretum Concilii, sed electionem tantum nuntiorum, cum Paulo et Barnaba Antiochiam mittendorum.

*R. 2. D. A.* Convenerunt videre de verbo, et placitum sibi ostenderunt diversimode, scilicet Apostoli tanquam iudices ad et per definitionem, seniores seu sacerdotes tanquam consultores ad et per discussionem ac consultationem, Ecclesia seu populus tanquam auditores ad et per acclamationem et acceptationem, C. æqualiter, ita ut omnes tanquam iudices controversiam definiverint et dederint legem, N. Patet res ex ipso contextu. 1. Enim Apostolos ac seniores tantum vocatos esse ad Concilium constat ex priore versu, nullam populi mentionem faciente: 2. Apostolos tantum egisse iudices inde liquet quod Petrus, postea Paulus et Barnabas, tandem Jacobus soli dixerint sententiam, tacentibus reliquis: 3. Seniores discussioni duntaxat adhibitos fuisse, colligitur ex v. 7: *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos;* et post interpositam Petri orationem ex subjuncto v. 12: *Tacuit autem omnis multitudo:* demum 4. Populum ad neutrum suffragii genus admissum esse deducitur tum ex solo ejus concursu ad electionem nuntiorum memoratam, tum quia in litteris mox subjectis et decretum proponen-

tibus mentio nulla fit populi, sed Apostolorum; ubi licet addantur etiam seniores, id tamen de interventu consultativo secundum dicta exponendum est.

Quod formulam in Conciliorum Occidentalium decretis posterioribus usurpatam attinet, ea consuetudo imprimis cœpit primum in Conc. Lateranensi III: dein ob præsentiam Papæ ad demonstrandam ejus in judicando eminentiam inducta est: demum non excludit judicandi in Episcopis facultatem et usum, sed subordinatum Pontifici exercitium indicat.

*Inst. 1. Cap. 19. de R. J. in 6. Quod tangit* (qualis est res fidei ac disciplinæ) *omnes, ab omnibus debet approbari:* Ex ep. NICOLAI I. ad Michaelem Imp. *Ubinam legistis Imperatores synodalibus interfuisse, nisi forte in quibusdam, ubi de fide tractatum est, que ad omnes pertinet Christianos?* Ex AMBROS. ep. 32. *Causam fidei in Ecclesia agendam quis abnuat? Si quis confidit, huc veniat..... Iste populus judicat, cujus in corde lex divina est.* Ergo summi infimique laici jus ad Concilium habent.

*R. Quoad 1. D.* Quod tangit æqualiter omnes, C. quod inæqualiter tangit, *subd.* debet approbari a singulis, vel singulis eadem ratione agentibus, N. a singulis; vel qua omnibus seu a representantibus communitatem, vel singulis propria cuilibet ratione agentibus, C. paritas cum exercitu vel republica datam illustrat distinctionem, secundum quam, ex dictis, Episcoporum tanquam representantium Ecclesiam solum negotium est concilium; id porro geritur quidem a pluribus, sed ab Episcopis ut iudicibus definiētib; a viris doctis ac rerum Ecclesiasticarum peritis ut inquirentibus, disputantibus et consulentibus; a reliquis ut audientibus, acquiescentibus et exequentibus.

*Ad 2. R.* Similiter, a Nicolao assertum esse interventum Imperatoris, non ut iudicis, sed ut adjutoris, defensoris et executoris.

*Ad 3. D.* Ad fidei causam in Concilio, maxime generali, agendam convenire potest quilibet, et hic populus judicat simpliciter, aut iudicio definitionis, N. Ad fidei causam in concertatione quadam agendam convenire potest quilibet, et populus hic judicat iudicio electionis, T. Agit hic AMBROSIVS de Disputatione cum Auxentio Ariano, quam Imperator itidem Arianus volebat institui in palatio, ille vero suscipiendam contendit in Ecclesia, pro more majorum, et a sacerdotibus; quandoquidem certamen penitus declinare circumstantiæ non sinerent. Cæterum non aliud quam assignatis a nobis iudicium permitti ab AMBROSIO probant verba mox subjecta: *Non ut quisquam iudex resideat, sed unusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur;* alludendo ad L. 3. Reg. 18. v. 24. Eliæ dictum.

*Inst. 2.* Nisi laici etiam vocentur, Concilium generale non representat Ecclesiam universam: quin ex Gratiano Caus. 36. Q. 2. Can. 11. unius Hieronymi auctoritas, sacris litteris munita, præjudicavit Concilio generali: denique privatum resistere posse toti Concilio, et illius sententiam melius fundatam esse proponendam, docent Gerson de Doctrin. examin. p. 1<sup>a</sup>. et Panorm. in Cap. *Significasti* de Electionibus.

*R. Ad 1. N. seq.* Sicut enim Princeps suum populum, sic pastor suas oves et Episcopus Ecclesiam suam representat: quia ergo aliqua multitudo Episcoporum representat universitatem pastorum, eadem etiam representat universitatem ovium, et sic Ecclesiam universam.

*Ad 2. N. Ass.* Gratianus non loquitur comparative ad Concilium generale,

sed ad particulare, nempe Aquisgranense; et adducit textum, qui vel non extat in Hieronymi operibus, vel antiquatam legem refert, atque hinc oppositionem non facit.

*Ad 3. R.* Panormitanum et Gersonem vel hæc enuntiare tantum conditionate, ad morem Pauli ad Galat. 1. v. 8. loquentis, quin ex hypothesi liceat transire ad statum absolutum, illum asserendo: vel loqui de resistantia, quæ aut ante decisionem et tempore discussionis, aut post decisionem in casu Concilii illegitimi fieri potest.

148. *Observe.* Quod numerum Episcoporum pro Concilio generali attinet, requiritur quidem ut convocatio facta innotescat omnibus, saltem Provinciis majoribus, reipsa conveniant absolute multi, et nullus ex toto orbe Episcopus, jurisdictione propria gaudens, non excommunicatus, excludatur: Non requiritur tamen 1. ut omnes omnino totius orbis Episcopi adsint, etiam per Procuratores; cum hoc fere impossibile sit, nec unquam factum: nec 2. numerus eorum certus aut definitus requiritur; cum illum neque Scriptura, neque Tractatio, neque lex aut usus determinaverit: nec 3. ut insigniter aut eminenter multi sint Episcopi; cum ætate eadem Nationale præ Generali, ut tempore AUGUSTINI Carthaginense præ Constantinopolitano I. invenitur numerosius: nec 4. ut æquali aut proportionato numero ex Oriente et Occidente Episcopi confluant; cum Conciliis Orientalibus pauci tantum Occidentalium Legati, Occidentalibus pauci Orientales adfuerint: nec 5. ut Patriarchæ vel Primates compareant; cum Ephesinum sine Patriarcha Antiocheno Nestorium, Chalcedonense sine Alexandrino Eutychem damnarint: nunc autem Orientales omnes schisma aut hæresis ab Ecclesia Catholica abstraxerit.

## ARTICULUS IV.

*Quando, et quantam Auctoritatem habeat Concilium Generale?*

149. *Nota.* Proposita quæstio versatur non tam de Concilii causa seu Patribus quam de ejus effectu seu Actis. Neque tamen sermo est de Actis quibuscumque, quales sunt sive collationes, disputationes aut deliberationes Patrum in communi; sive allegationes, probationes, dicta aut facta Patris alicujus in singulari: sed de conclusis, statutis ac decisionibus, quocumque nomine, seu symboli, seu definitionis, seu sententiæ, seu decreti, seu canonis, seu termini, seu anathematis propositis. Neque rursus de his omnibus, ad quamcumque materiam diffusis, agitur; sed quemadmodum in Cap. de Ecclesia feceramus, prout restringuntur ad materiam fidei, morum et factorum dogmaticorum.

Tandem ne omnes quidem decisiones etiam hujus generis ac materiæ huc referuntur, sed illæ dumtaxat quæ sunt perspicuæ, positivæ et certæ, h. e. rem pro certa enuntiantes: quandoquidem si aut ambiguus sit sensus, aut res ipsa esse vel non esse haud affirmetur, aut intra opinionis vel probabilitatis limites sententia se contineat, auctoritate summa, de qua hic quæritur, hujusmodi decisiones pollere non posse, per se est manifestum. Atque hinc tanta cum auctoritate definita a TRIDENTINO non esse quæstiones sive de immediata Episcopatus institutione Sess. 23. Can. 6., sive de Matrimonii per adulterium indissolubilitate. Sess. 24. Can. 7. statuunt plures:

neque a Viennensi Decr. 4. quæstionem de efficacia Baptismi parvulorum terminatam fuisse, concedunt omnes.

Porro quantitatem auctoritatis ad mensuram certitudinis comparamus, ut adeo summa auctoritas sit certitudo talis, qua Concilium infallibile, decisiones ejus irrefragabiles et irreformabiles sint ac audiant. Tò quando non tam ad temporis durationem quam factum confirmationis refertur, sic nempe ut quæstionis per hanc particulam formatæ sensus sit, an ad auctoritatem Concilio generali propriam tribuendam requiratur Conciliares decisiones a Pontifice confirmari? Potest autem confirmationis nomine intelligi 1. vel mera accessio ad Patrum judicium, qua Pontifex ut pars Concilii consentit decisioni; 2. vel declaratio legitimi Patrum judicii, qua idem ut præses aut iudex Patrum exponit decisionem esse legitime factam; 3. vel corroboratio seu impertita Patrum iudicio auctoritas, qua Pontifex ut caput supremum et Ecclesiæ Princeps decisioni tribuit vim obligandi.

De postrema confirmationis specie hic necdum agitur, sed de alterutra ex præcedentibus, an una saltem ad auctoritatem Concilii generalibus conciliandam requiratur; cum *confirmatio auctoritativa* ad superioritatem sive Concilii sive Pontificis spectet, quæ Cap. seq. examinabitur.

150. *Dico I.* Ut auctoritatem sibi propriam habeat, Concilium generale debet esse a Pontifice confirmatum. *Prob.* Concilium generale propriam sibi auctoritatem non habet, nisi quatenus repræsentat Ecclesiam universam: sed nisi aliquo ex prædictis modo Concilium a Pontifice confirmetur, id Ecclesiam universam non repræsentat: cum corpus Ecclesiæ hic esset sine capite, utpote nec per accessionem nec per declarationem, nec per corroborationem præsentem aut concurrentem: ergo.

*Conf. I. ex Jure.* Necessarium esse auctoritatis Pontificiæ interventum, ut Conciliis firmitas ac vis concilietur, declarant Julius I. apud Socrat. Lib. 2. c. 13. dicens: *Canon Ecclesiasticus velat ne decreta absque Romani Episcopi sententia Ecclesiis sanciantur*; Gelasius I. L. de anathem. *Quod firmavit in synodo sedes Apostolica, hoc robur obtinuit: quod refutavit, habere non potuit firmitatem*; Sixtus III. in ep. ad Epp. Illyr. *Nec his constitutis, quæ præter præcepta nostra Orientalis synodus decernere voluit, credatis vos teneri præter id quidem quod de fide nobis consentientibus judicavit*; Pelagius II. in ep. 4. ad Epp. cum Joanne Constantinopolitano non congregatos: *Multis Apostolicis et Ecclesiasticis instrumur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari*; Nicolaus I. in ep. 8. *Non ergo dicatis non equissemus vos in causa pietatis sedis Romanæ, quæ collecta Concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit; unde quedam eorum quæ consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdidit*. Testatur idem Ferrandus in ep. ad Anatolium: *Sed quo iret, aut ubi majores in Ecclesia iudices reperiret, ante se habens in Legatis suis sedem Apostolicam, qua consentiente quidquid illa definit synodus, accepit robur invictum*? Hincmarus L. de divor. Lothar. et Theut. *Apostolica sedes et comprovincialium et generalium synodorum retractat et confirmat iudicia, sicut epistolæ Leonis atque Gelasii, cæterorumque Romanorum Pontificum et Sardicensis synodus evidenter ostendunt*. Ratramnus L. 4. adv. opposita Græcorum: *Quæcumque Concilia Sedis Apostolicæ sententia roborata sunt, rata manserunt: quæ vero*